DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICA

DE MEDICAMENTORUM VEHICULIS

QUAM

DIVINA FAVENTE GRATIA

FACULTATIS MEDICÆ IN INCLYTA ACADEMIA JULIA DECRETO

PRÆSIDE

FRIDERICO SCHRADERO

MED. DOCTORE EJUSDEMQUE ET NATURALIS PHILOSOPHIÆ PROF. PUBL. ORD. MEDICÆ FACULTATIS HODIE DECANO SPECTABILI

DN. PRÆCEPTORE ET PROMOTORE SUO ÆTATEM HONORANDO.

PRO LICENTIA

SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES ET PRIVILEGIA DOCTORALIA RITE CONSEQUENDI

PUBLICÆ ET SOLENNI DISQUISITIONI SUBMITTIT

IN MAGNO JULEO

DANIEL ANDREAS HERSTELLE

CLAUSTHALENSIS.

HORIS ANTE ET POMERIDIANIS

D. XVIII. JANUARII clɔ Iɔ CCI.

HELMESTADII,

Typis GEORG WOLFGANGI HAMMI, Acad. Typogr.

PERILLUSTRI ET EXCELLENTISSIMO
DOMINO,
DOMINO
HENRICO ALBRECHT
de BUSCH
SERENISSIMI AC POTENTISSIMI
ELECTORIS
BRUNSVICENSIS ET LUNEBURGENSIS
MINISTRO STATUS ET RERUM METALLICARUM SUPERIORIS ET INFERIORIS HERCYNIÆ
Præsidi & Directori supremo
DOMINO ET PATRONO SUO ÆTERNUM DEVENERANDO

Disputationem hanc Inauguralem
submiße offert & dedicat
A. & R.
Daniel Andreas Herstelle.



D· Q. B. V.

DE MEDICAMENTORUM VEHICULIS.

§. I.



Tſi Medico hominum ſanitatem conſervare vel amiſſam reſtituere pro fine habenti, imprimis laborandum ſit ut ſecundum indicationes & oſtenſiones quæ à morbis ipſis, eorum cauſis & ſymptomatibus fiunt, remedia opportuna & ex æquo præternaturalibus, ſanitatem affligentibus rebus oppoſita inveniat & eligat; Plurimum tamen etiam in remediorum dextra applicatione ſitum eſt, plurimum in eo poſitum ut debito tempore & convenienti modo eadem adhibeantur. Ad hunc

autem modum non tantum illud ſpectat ut commoda ad medici ſcopum apta & ægrotanti non nimium adverſa forma medicamenta præparentur; Alii quippe liquida & poculenta omnia faſtidiunt, ſicca facilius admittunt, alii horrent ſicca medicamenta, & imprimis reperias plurimos qui pulveres ægerrime accipiunt: Sed requiritur etiam propter non unam cauſam ut grata, idonea, & appropriata vehicula in exhibendis propinandisque remediis eligantur. Quid circa horum diſcrimen uſumq́ue; & dextre ac tempeſtive eadem adhibendi rationem in praxi obſervari debeat, Diſputatione hac Inaugurali explicare conabor, cum utiliſſimum judicem, imò ad felicem curationum ſucceſſum indies neceſſarium, non promiſcuè vehiculis uti, aut arbitrio ægri vel ipſi miniſtrantium muliercularum id relinquere; quandoquidem ſicuti conveniens vehiculum juvare operationem medicaminis, ita inidoneum impedire eandem, & totam ſpem quam in eodem & ipſi ægri & Medici quoque ponunt irritam facere poteſt.

§.II. Vehi-

§. II.

Vehiculum à Latinis Scriptoribus generalius alias ſumitur, pro illo, in quo aliquid vehitur & geſtatur; ut à curro eſt curriculum, ſic à veho eſt vehiculum. Uſu tamen receptum in Medicinam eſt vocabulum & denotat medium, quo ſine magna nauſea, commodius medicamentũ ſumitur, deglutitur, & operatur.

§. III.

Incumbit Medico ut quantum in poteſtate ſuæ artis eſt ſitum, cito, tuto, & jucunde etiam ſanet, hoc efficere citra apta medicamentorum vehicula non poteſt. Non verbis curantur ægri ſed herbis & medieaminibus, quibus ſapor adverſus & odor ſæpe ineſt inſvavis, ut opus ſit delinimento, quod ſaporem nauſeabundum tegat veluti & mitiget, gratiaque ſua ſe ita commendet, ut non reſpuat ventriculus quod curæ ægrotantis conveniens eſt, ſed retineat, & diſtribuat, ut in ſanguineam maſſam perveniat, & motu circulatorio ad illam partem in qua operatio illius requiritur pertingat. Alias fruſtra agimus Medici, & æthio-

pem lavamus, si id non omni conatu agimus, ut medicamenta ad locum affectum integra, quantum fieri potest, virtute deducantur. Hoc vero idoneis & ægro non molestis vehiculis exsequimur, quibus tunc præsertim opus est, quando morbus repetitionem crebram pharmaci poscit, & ad superandum eundem major mora requiritur.

§. IV.

Nituntur in vetitum plerumque ægrotantes, & quæ in illorum emolumentum & salutem à medicis præcipiuntur & ad felicem curationem utilia judicantur, non recte usurpant. *Neque verò* ut aphorismo 1. præclare monet Hippocrates: *Medicus modo sic comparare se debet, ut faciat quod facto opus est, sed & æger, & qui præsto sunt & quæ foris incidunt.* Ægri autem, delicatuli præsertim & gutturi operam dantes, utut molestiam à morbo sæpe maximam sentiant, & ab illa liberari percupiant, correpto tamen præ medicamentis fastidio ab illorum usu abalienantur, ut vehiculis gratioribus opus sit, quæ si non omnino

ali-

quo modo tamen demere nauſeam medicamentis poſſunt, illorumque aſſumtionem juvare.

§. V.

Mira res eſt tantopere ſæpe ægros abhorrere ab illis omnibus quæ in emolumentum illorum nata ſunt, & à Medicis cum cura applicantur, ut ad recordationem etiam pharmaci labium tremat, & maxima ſtatim nauſea ſubrepat. Videas matres ſæpe intempeſtiva miſericordia & vano metu ductas repugnantibus liberis nolle medicamenta obtrudere; reluctante tantopere natura, ut loquuntur, & ſtomacho adverſante plus damni quam levaminis afferre medicamenta exiſtimantes. Quænam hujus faſtidii cauſæ & differentiæ, & quomodo Medicus hic prudenter ſe gerere debeat, ſane eſt operæ pretium diligentius rimari, an & quomodo acceptum magis reddi debeat medicamen, quibus mediis & vehiculis propinari; an vero ſatius ſit tunc omnino abſtinere & nova illa methodo uti, quã nugivendus Gideon Harvejus peculiari libello & illis etiam rationibus

com-

commendat, quorum commemoratione non ſcriptorem modo, ſed ipſas chartas erubeſcere oportebat. Mora nempe ſanare potius Medicum debere præcipit; illud *Exſpecta* præſcribendo & jugiter repetendo; quod *Exſpecta* in illis affectibus qui acutiſſimos dolores diroſque cruciatus ſecum ferunt, & illorum lenimen ac medelam acerrime exſpectant, pauciſſimis arriſurum eſſe opinamur.

§. VI.

Potius alia ratione ſubveniendum erit illi nauſeæ & tædio quod præ medicamento concipiunt laborantes & graviſſimis etiam morbis decumbentibus, impedimento maximo eſſe poteſt, imò efficere ut vel planè non convaleſcant, aut tam citò ſanitatem non recuperent. Interdum quidem illa averſatio determinata eſt, ut quædam abhorreant, & certa medicamina propter formam ipſis ingratam, odorem vel ſaporem adverſum deteſtentur, aliquando vero omnia pharmaca cujuſcunque formæ vel qualitatis, dummodo pharmacum eſſe cogitatio incidat faſti-

dioſe

diose respuunt. *Est* scribit Pechlinus l. III. obs. 14. *antipathia quædam, qua omnia fastidiuntur titulo medicaminis venditata, quam nec ratione neq; violentia emendes. Ad unum tamen fere omnes modo hanc modo illam speciem remedii lubentius admittunt. Vidimus qui potiones fluidas penitus rejicerent, nec adduci possent, ut acceptas retinerent, alios rursum, qui ejuratis sorbilibus, pulveres tantum, nunc & pillulas tolerarent, cæteris speciebus fastiditis. Jam saporis genus ita nonnullos occæcavit, ut nisi gratus ille sit, medicinam omnino respuant; & hic quidem alii acidis, dulcibus alii, nonnulli etiam amaris delectati per gustuum species quæsivere, quid utile esset. Ad singularia etiam quædam se extendit hoc fastidium, aliis hoc, aliis illud repudiantibus. Myrrha, invisa amaritudine nonnullis suspecta, aliis per ocium commorsicatur, nihil morata gustus invidiam; Aloe & ipsa dentibus subigitur ab aliquibus, consuetudine ori probatâ. Quid quod noverim, qui pillularum forma offensi, attritas eas & liquatas, ut erant amarissimæ, deglutire nil*

pensi

pensi habuerint. Nunc Rhabarbarum, plerisque omnibus ob peregrinum nidorem fastiditum, aliorum palato gratissimum & in quo volutata lingua se exerceat, sed, qui multis jucundissimus est, Calami aromatici, Enulæ, Cinnamomi rosarumq; sapor aliquibus in tædium abiit, & in universum dulcia quæq; & εὐώδη fœminis ab utero vexatis molesta sunt morbosq; & sensum exasperant.

§. VII.

Occurrunt autem non raro qui à prima infantia contracto, hac in re etiam, præjudicio laborant, & sola phantasa vanaque persuasione ducti, medicamenta assumere renuunt. Quæ perversa imaginatio vincitur quandoque severo Medici & adstantium alloquio, commodisque rationibus eximitur. Interdum etiam ingravescens morbus, & symptomata graviora ac dolorifica, quæ avelli percuperet patiens, illud præjudicium delent & feliciter evanescere faciunt: Adeo ut quod vulgo dicitur experientia confirmet. Wenn die Noth da ist/ können die meisten Leute wol medicamenta

camenta einnehmen; Bene tamen Medico notandum est quandoque & fastidium illud ex aliis causis intimioribus, in dispositione peculiari nervorum & spirituum præsertim quærendis, provenire; insitum magis & naturale esse, quod medicorum hic consilia argumentis solidissimis etiam suffulta, prævertit & irrita reddit. Retulit mihi spectabilis Dn. Decanus de ægra cui mentis usus integer, ubi repugnante & adversante idiosyncrasia expellere illam nauseam, tamen usque recurrentem, non poterat, adeo ut obluctante naturali illa aversione nihilominus medicamentum assumeret, in maximas præcordiorum angustias imò diras convulsiones incideret, adeo ut finis vitæ videretur instare.

§. IIX.

Quæcunque tandem causa hujus Idiosyncrasiæ adducatur; quam alii ab astrorum influxu deducunt, alii ad sympathias & antipathias referunt, alii fermentis peculiaribus tribuunt, alii ad occulta cum Marcello Donato Hist. Med. mirabili c. 3. & Scaligero Exerc. 274.

profcribunt, Artem Medicam facturus obfervare debet fedulo, ne innocens alioquin remedium diffametur, ut noxium imò toxicum evafiffe videatur. Obfervationem modo citatam ita orditur Pechlinus. *Nunquam ego autor fum, ut medicamenta invitis vehementius obtrudantur.* Talem Idiofyncrafiam aliquando etiam hæreditariam fuiffe conftat. Vixiffe Mediolani familiam quæ hauftu folutionis Caffiæ fiftularis, alias blandioris & innocuæ, interibat teftis eft idem I.C. Scaliger Exerc. 153. §. 10. Temerarium ergo effet ad talia vehementiffime faftidita invitos & maxime naufeantes velle cogere, quod quam male cefferit Celeberrimus Pechlinus pro more fuo iterum eleganter docet, & in Obf. Medico Phyfic. p. 422. hac de re futurum practicum ita inftruit: *Adultis*, inquit, *fi à medicamentis animo fint alieno, haud facile perfuaferis, quam repudiant medicinam profuturam effe; & fane plurimis à coacti obtrufiq; medicaminis ufu valitudo mutatur in deterius, nec facile ftomacho conciliatur, quod ingratiis accipitur. In ætate minoribus, ubi nihil adhuc regnat præjudicii*

neq;

neq; diffidentia propositum evertit, ipsa sæpe natura & peregrinus sapor obsistunt, quo minus ore accipiant laudatum objectumve remedium. Quare utroq; casu providendum est, ne ægrotos nimis temere urgeamus, cum, si à Naturæ quodam horrore ingenitoq; vitio repudium nascatur, non facile ratione aut vi corrigi possit. Si leviculus est neq; insitus error, & à præjudicio ortus componendus est animus & hoc agendum, ut spirituum liberior motus medicamenti effectum promoveat. Jocularis est fœminarum & puerorum lascivia, quæ ab omni protinus medicamento abhorrent, atque hæc bonis verbis tandem etiam conatu vehementiore expellenda. Obsequendum ergo nonnihil est ægrotantium ingenio, & non facile propinanda, quæ constat tolerari non posse. Eo tamen pervenit importunum illud benefaciendi studium, ut non aliter constare arti autoritatem putent quam ubi contra vota & auspicia invitis plane ægris placita sibi remedia obtruserint, quæ ego sic assumta utplurimum male cessisse vidi. Adeo examinanda primum est

ægri indoles, utrum leviter an profundius error insederit, utrum à futili & lascivo præjudicio, an fastidio insito ortum habeat; ita enim mutandum esse Medici propositum, ut puto, liquet. Puellam vidi septem annorum, ut in pueris fieri solet, omnis generis remedia fastidientem, huic tamen à morbo deprehensæ jamq; gravius laboranti Medicus ex officio, quid facere oporteat præscribit. Inter alia parentibus jam male metuentibus potiunculam commendat, quam, si salvam esse filiam velint, haud cunctanter exhibere fas sit. Accedunt ergo parentes bonis primum verbis promissisq; refractariæ puellæ ingenium demulsuri. Illa tamen semper voce, clamoribus & quovis nisu obsistere, dum pertinacius & ipsi parentes potionem urgent, & tandem ori per vim aperto infundunt, vix gulam transierat, cum eodem impetu resiliret coacta potio; ex quo consternatior puella non tantum gravius laborare, sed & vocis usum penitus amittere cœpit, convaluit tamen ex illo morbo naturæ beneficio, at vocem amissam non nisi post sex menses æque

repen-

repentina crisi recepit, non leviter gavisis, quos pridem medicaminis violentius ingesti pœnitentia invaserat, Parentibus. Tantum est tempori & ingenio laborantium pro necessitate servire.

§. IX.

Studendum ergo ut gratia quantum quidem fieri licet, medicamento paretur, id quod ægri animum suavium verborum delinimentis allevando, severis quoque adhortationibus commovendo sæpe non tam fit, quam convenienti & accepto vehiculo. Sicuti enim quando medicamentis alioquin non admodum fastiditis ingratissima admiscentur ipsa idcirco cum horrore assumuntur, ita ubi blando & placente vehiculo medicamentū occultatur temperaturque, sæpe promte hauritur retinetur, & bene distribuitur per corp⁹, ut effectus quem præstolamur feliciter sequatur. Inprimis quoniam saporis ratio præcipue hic habenda ad quem plane injucundum & vehiculo grato non delibutum protinus nausea concipi solet, tanta autem aversatio non accidit si medicamentum assumtum gustus organon superavit.

§. X. Hic

§. X.

Hic ergo creberrime finis est vehiculorum ut commodè absque nauseabundo horrore & aversatione medicamenta accipiantur. Atq; ut id fiat observationes Practicæ hoc nos monent, illa quæ parum habent eminentis saporis, quæ blanda & insipida, vel viscidiusculis partibus amara salina & acria medicamenta inviscantibus ac demulcentibus abundant ad id esse valde idonea, unde aculei mordacium & insvavi sapore molestorum medicamentorum obtunduntur. Quapropter ptisanæ, decoctum avenæ excorticatæ, emulsiones, lac, mucilagines, juscula, succi, syrupi sæpe ad id commoda sunt auxilia. Dummodo non talibus involvas medicamenta, quæ operationem horum resolutionemque in ventriculo impediunt, prout evenit quando passulis inclusæ pillulæ non dissolutæ sed integræ iterum, operatione debita non facta, fuerunt per alvum redditæ.

§. XI.

Ad scopum hunc obtinendum, ut lubentiore

tiore animo medicamina ægri aſſumant, multum quoque facit, ut conſvetis & placentibus liquoribus pro vehiculo utantur. Quapropter pro medicamentorum diſcrimine, juſculis, aquis, vino, cereviſia, ordinariè utimur. Memini ægrotantis ventriculum pulverem præcipitantem ſedativum, ad anguſtias, ſtomachi vitio natas, exhibitum, aliquoties revomuiſſe, & applicitis etiam externis fomentis id non potuiſſe impediri; cum vero medicus meminiſſet ægrotum aquæ vitæ potu quotidiano fuiſſe delectatum, illumque pro vehiculo æger uſurpaſſet, deſinente vomendi conatu, medicamentum protinus retinuit. Idem in alio, potu Caffée in quotidianum ferè uſum verſo accidiſſe notavi. Requiritur porro ut debita quantitas obſervetur, nec plus, quam commoda medicamenti deglutitio ejusdemque uſus poſtulat, illius adhibeatur. Uti enim omne nimium, in ventriculo fluctuans, facilius eidem oneri eſt, nauſeamque excitare poteſt; Ita male illi faciunt qui vehicula, utut non injucunda, majoribus hauſtibus ſuperbibunt, quod uti efficaciam operationemque medicamentorum ni-

mium diluendo ſæpe hebetat, ita idem ventriculo adverſum eſſe poteſt & ſolet. Quando medicamentorum uſus, flagitante id morbi contumacia, continuari debet diutius, manentibus & obſervatis quoq́ue à Medico iisdem indicationibus, medicamenta non tantum ipſa iisdem qualitatibus & virtutibus prædita, mutanda interdum ſunt, aliaq́ue forma præſcribenda, nec ſemper eadem hic chorda oberrandum; ſed tunc valde prodeſt ipſa quoque vehicula ſubinde mutare, quo faſtidium reprimatur removeaturq́ue.

§. XII.

Ipſa quoq; deglutitio multorũ medicamentorum facilitatur per lubricum & facile deſcendens vehiculũ. Balſama vulneraria & antiphthiſica aqueis fluoribus non commiſcentur, ſed ſeparantur facile in ipſo ore. Terebinthina enim aliaq́; glutinoſa ingredientia, adhæreſcunt gulæ & palato, in ventriculo diutius hærent, & ructibus frequentibus incommodum pariunt, quod ita non fit ſi ſaccharo commiſta, vel lactis vehiculo, vel alio liquori pinguiuſculo miſcentur; vel ſyrupo etiam commodo conjunguntur.

guntur. Quæ adſtringendi vi excellunt, & ſtiptica alias dicuntur, iſthmum ſæpe faucium admodum anguſtant, & in illis affectibus ubi iis opus eſt, tuſſis vero pernicioſa eſt, obſunt graviter. Irritatione enim faucium tuſſes excitando nocent, niſi commodis vehiculis præbeantur. Semen hyoſcyami eſt inter præcipua & certisſima in magnis ſanguinis profuſionibus, & hæmoptyſi præſertim, præſidia; id in pulvere ſumtum faucibus moleſtiam parit, easdemque conſtringendo detrimento eſſe poteſt, vehiculo vero exceptum, vel ſyrupi papaveris aut portulacæ, vel Conſervæ roſarum antiquæ, vel, quod Mercurialis in Conſiliis ſvadet, tabellarum forma cum Gummi arabico ſucco berberum & ſaccharo paratarum, exhibitum, deploratorum hæmoptoicorum fit auxilium. *Nullam* ſcribit Rob. Boyle Exerc. vi. circa utilitatem Philoſophiæ experimentalis, *è vulgaribus Chymicorum eſſentiis aut Elixiribus virtute eadem ſanguinem ſiſtere novi, qua hoc nuda præſtat mixtura duarum drachmarum ſeminis hyoſcyami & ſeminis papaveris albi, ejusdemq;*

 ponderis

ponderis cum Conserva rosarum rubrarum in Electuarium spissum composita, quo remedio aliquot homines è mortis faucibus eripui; Quo etiam Medicus quidam eminentissimus, nunc inter cœlites, se & remedii inventorem profusum sanguinis à naribus, & in fœminis ex aliis præterea partibus profluvium frequenter sanasse affirmavit. E quo fidelissima Excellentisſ. Dn. Decani institutione usus sum, & quid ex illo tempore, quo ab ipsius ore pependi, in praxi ipsi occurrit cognovi, plures casus notavi, ubi hyoscyami semen tali vehiculo, repetito usu assumtum, omnia alia vicit, & sanguinem è pectore cum impetu & orgasmo prosilire cupientem stitit; atq; ab eodem Præceptore meo accepi observationes illius comprobasse id ipsum quod Ill. Boyleus c. l. statim subjungit: *Neq; effectus præparationum chymicarum elaboratissimarum adeo mirificos vidi ac syrupi cujusdam compositi saltem è quantitate sacchari puri & succo probissimè expresso foliorum plantaginis atq; radicis consolidæ bene combinatis, cujus syrupi*

beneficio, ne de experimentis meis quicquam afferam, curas inusitatas absolverunt Medici excellentissimi. Inservit optime syrupus talis de plantagine compositus pro vehiculo adstringentium & hæmorrhagias cohibentium pulverum.

§. XIII.

Neque vero saccharata & mellita quibus bene involvuntur & accipiuntur ab ægris plurima medicamenta, tantopere metuere fas est, ut vulgo fit. His enim si medicamenta admiscentur, sæpe ægri vim medicamentorum gustu vix percipiunt, & sine incommodo & noxa, quod nunc inprimis volumus, deglutiunt. Quapropter vegetabilium partes & succi magno numero in officinis nostris pharmaceuticis saccharo asservantur, miscentur, condiuntur, incrustantur. Habemus quippe cum illo confectos Syrupos, Condita, Conservas, Electuaria, morsulos, rotulas; tum quia recentia medicamenta ex vegetabilibus non semper haberi possunt, tum quia hoc vehiculo palato plurimorum ita consulitur, & medi-

camina nostra, non adversantibus ægris, majori, ut sæpe requiritur, quantitate applicari possunt. Plurimum contulerunt suis laboribus Chemici, ut medicamenta, quæ commodius adhibentur, habeamus. Plurima jucundiora & elegantiora pharmaca illorum cura & diligentia habemus, non omnē tamen ingratitudinem ipsis quoq; esse ademptam palam est. In qua re summam admirari licet Creatoris providentiam. Si enim similem medicamentis quam alimentis gratiam indidisset illorum usu jampridem humanum genus sese ipsum aut perdidisset aut labefactasset. Vid. Primeros. De Vulg. Error. l. IV. c. 6. Ii tamen falluntur qui semper exilissimam dosin graduatorum & concentratorum medicamentorum ad arcendam aversationem, & operationem meliorem, præcipuum esse putant. Largior in non paucis affectibus chemico modo depurata & exaltata remedia Galenicis præferenda & libentius à plerisque sumi, quam tædiosa largissima Decocta; sæpe tamen morbi indoles blandiora &

ra &

ra & quæ quantitate ſimul juvant poſcit. Imo ipſa chymica arte parata ſubtiliora ac efficaciora remedia, deſiderant vehicula, quæ vim illam penetrantem mordacemque acrimoniam, nimiamve volatilitatem diluant & temperent; Ita enim commodius aſſumuntur, & leniter in ſanguinem ex primis viis abeundo illi parti ſe inſinuant in qua efficaciam debent exſerere, meliusque operantur. Accepi à Spect. Dn. Decano exemplum de viro Illuſtri qui aulicorum more, in quorum congreſſione hærebat, ſal volatile C. C. è cultri cuſpide ſine vehiculo aſſumebat, & mox in anxietates, tuſſes, reſpirandi difficultates ſummas, prolabebatur, ut ſubito opus fuerit conſilio & largo lactis potu, quo à vitæ periculo, quod inſtare viſum fuit, liberararetur. Bene iterum & appoſite Ill. Boyleus l. c. Exerc. V. ita caput 1. auſpicatur. *Paracelſiſtæ forſan nonnulli affirmarunt, Medicinarum chymicè præparatarum uſum commodiorem eſſe, quam odioſa illa Galenica remedia, potiones, bolos, &c. quæ non recipienti tantum tædioſa, ſed, quod pejus, plurimis eousq; offenſiva reperiuntur, ut patiens*

eadem

eadem aut recipere nesciat, aut stomachus irritatus ipsa vomitu prius rejiciat, quam in corpore ad ullam contra morbum efficaciam permanserint. Quamvis vero sententiæ huic nimium non adhæream, cum Medicinæ salubritatem magis, quam gratiam acceptam respiciendam judicem, optandum tamen esse ut Medici sollicitè, ne ægrotos medicamentis magis quam ipso morbo torqueant, præscriptioni antiquæ non cito & tuto tantum; sed & jucunde simul morem gerentes prospicerent, non inficias eo.

§. XIV.

Fit hoc ipsum sæpe peropportunè aptis vehiculis, qualia svavia, lenia, dulcia, saccharata, mellita optime sæpe præbent. Et vane hunc arundinis succum, veteribus ad hunc scopum usitatissimũ, tantopere timeri à non paucis recentioribus diximus, qui inprimis id urgent fermentescibilia esse saccharata & facile acescere, acidum autem esse modo non perpetuam morborum chronicorum & pluri-

plurimorum quoque acutorum caussam, ut idcirco in recessu acidissimum spiritum continens saccharum sanitati admodum noceat. Et apparet sane infantes æque ac adultos sacchαro multo utentes lentam, viscidam, acrem, ad humorum stagnationes, tumores, hæmorrhagias efficiendas proclivem sanguinem contrahere & scorbuti labem illius frequenti usu manifeste augere. Guilielmus Piso Histor. Ind. Natural. expressum dulcissimum hunc arundinis saccharinæ succum ultra 24. horas dulcorem suum non servare, sed hoc brevi temporis spatio elapso acorem contrahere maximum & in forte acetum degenerare refert. Recte ergo concluditur cum judicio & tempestive, considerato bene subjecto & morbo, saccharata adhibenda esse, quæ sub jucundo suaviter linguam afficiente sapore, multum asperitatis & acritudinis afferunt. Immodicus saccha-

ratorum usus est utiq; sanitati inimicissimus, contra quem recte disputat in Herbario suo Tabernæmontanus. Sed modicus sanitati non est incõveniens. Acidũ enim in saccharo multo illo dulcore, pectori valdè grato, & in plurimis affectibus utilissima mixtura temperatur. Imò ipsum acidum, ast debita cum reliquis massæ sanguineæ corpusculis servata proportione, omnino ad sanitatẽ requiritur. Si acida omnia, ut novatores quidam somniant, valetudini semper damnum afferrent, non gratissimis citri, aliorumque vegetabilium succis, non sale, non, pane, uti oporteret, sine quibus tamen vita vix sustentaretur.

§. XV.

Abusus ergo si absit, gratum & salutare pariter quandoque aliorum remediorum vehiculum esse saccharum persvasus sum; cum illa quæ alias non acciperet æger sic interdum cupide & libenter sumat, quod in infantibus quotidie observamus, dul-

cibus

cibus vehiculis amarissima ipsis præberi posse. Etquod de illo quoq; saccharo quod candidissimum & firmius est ac cum calce viva depuratur in medium producunt illud scilicet insaluberrimum esse, & vulgari minusq; excocto pejus, parum profecto attendendum esse arbitramur, cum præparatio illius, quam Guil. Piso de Medicina Brasil. aliique describunt, declaret, frequenti elotione enim quod additum fuit iterum secedit. Minime reprehendendus est ille mulierculärum mos amarissima vermes necantia & expellentia mellis vehiculo, vel finissimo, ut loquimur, saccharo porrigere, quo inescati vermes, illa, quæ ipsos occidunt & expellunt, unà devorant, quemadmodum pro hoc scopo etiam Mercurius saccharatis includitur, qui boli forma alias etiam rectius quam in pulvere exhibetur, sic enim facilius deglutititur, nec dentibus, quibus nocentissimus

 est,

eſt, adhæret, nec metallicum cochleare, cum quo in pulveris forma alias ſumi ſolet inficit ipſique adhæret, quod novi terrori fuiſſe ægrotanti mercurialem pulverem uſurpanti. Minus apte etiam idcirco morſulis anthelminticis, dentibus maſticandis inditur; Ex aliis autem pulveribus præcipitantibus & cordialibus pro infantibus, qui pulveres nolunt ſumere, tabellæ & rotulæ non incommodè fieri poſſunt.

§. XVI.

Ratio ubique & practicum judicium ſi medico facem præferat, æger, in uſurpandis pro vehiculo medicamentorum, dulcibus non errabit, quæ ægri plurimi minus recuſant, non pauci appetunt, & bene illa ſæpius faciunt afflicto pulmoni, facilius lingua in gulam detruduntur, imo & aſperam arteriam ducuntur. Ut facilior detruſio fiat in ſtomachum pulveres aſſumendi lubricitante & eluente vehiculo opus habent pro diverſis illorum viribus, vario, & pro aſſumentis propenſione in hæc vel illa, eligendo. Solent alias julepi & Decocta in febribus deſcripta ad hoc adhiberi,

ut cordiales & bezoardici pulveres cum illis ſuperbibitis os poſtea demulceatur, quod interdum fieri quidē poteſt, ſed non nimis frequenter fieri debet; quæ enim majori quantitate hauriri & pro ordinario potu ut humectandi diluendique facultate eò melius proſint, uſurpari debent medicamenta, ſi cum illis alia, præſertim ingratiora aliquoties ſumuntur facile tædium illorum potuum ægrum capit, ut libent er adeo eorum uſum non continuet. Pillulæ ſolent fructibus includi, aſſatorum pomorum ſucco involvi. Multi tamen magis & facilius nauſeam concipiunt, quando paulatim unam poſt alteram ita deglutiunt, ut expeditius ſæpe negotium ſuccedat, ſi pillulis ſimul in os poſitis ſtatim hauſtulus juſculi vel Cereviſiæ ſuperbibatur. Glutinantia quoque fortiora vehiculis bene dilui ante adhibitionem debent, ne in faucibus vel pharynge moleſtiam afferant, quod accidebat illi ruſtico cui infuſum radicis conſolidæ majoris obtulerunt, quo poculo affatim aſſumto occludi ſibi fauces ſenſit, & maximam deglutitionis

 difficul-

difficultatem, ut illos qui dederant de veneno adhibito quo ſtrangularetur, accuſaret, quod Philippus Hechſtetterus obſerv. Decad. 3. caſ. V. deſcribit.

§. XVII.

Creberrime etiam vehicula inſerviunt augendis intendendisque aliorum medicamentorum viribus, quemadmodum efficaciam ſuam hæc ſæpe amittunt aut non debite & ſufficienter exſerunt, quando cum vehiculis non competentibus uſurpantur, ut ille non impleat partes omnes providi & ſagacis medici, qui de his non inſtruit vel monet ægros ipſos vel adſtantes, à quibus non raro quæ medicamenti vim obtundunt imò pervertunt adhibentur, &, quod in proverbio dicitur, ocrea galeæ applicatur; quando emetici c.c. vis aſſumta copioſius cereviſia calida butyro multo admixto frangitur & optata ac ſufficiens non ſequitur operatio. Male quæ orgaſmum humorum ſedare ſanguinis fervorem ebullitionemq́ue compeſcere debent, cum conſvetis aquis vitæ, vino ipſo aut

aut calidis aliis liquoribus assumuntur. Præcipitando, effervescentias flatusque ac exhalationes hinc genitas impediendo quæ agunt, ægrisque subveniunt, sæpe, valde salutariter cum aqua simplici fontana serolactis & similibus aqueis nihil fermentativi complectentibus liquoribus exhibentur. Et in ipsis quoque stomachi & hypochondriorum doloribus multoque flatuum proventu cum vehiculo aquæ exhibita sedativa talia melius prosunt, quam cum calidis pituitam in flatus magis attenuantibus & resolventibus aquis. Consideratione quippe dignum est flatus sæpe evanescere non discussos sed subsidentes, ventre enim à flatibus distento solent interdum disparere, nullo tamen flatu vel sursum vel deorsum emisso, quod eleganter explicuit Willisius part. 1. pharmaceut. rational. Talia ergo vehicula diluentia; actu etiam frigida, interdum in biliosis & fervidis subjectis & secuta simili ventriculi intemperie prosunt. Observatum quippe memini à Spectabili Dn. Decano cardialgiam flatulentam admodum

dum dolorificam & angustias graves inducentem actutum placasse aquæ frigidæ haustum addito Tartari cremore. In subjectis vero ventriculum admodum sensibilem & genus nervosum tenerius habentibus nocere vehicula frigida possent graviter, in his enim potissimum sunt stomacho inimica; & terret semper triste illud exemplum quod apud Benivenium legitur de abd. rerum causis cap. 15. ubi à frigido emplastro stomacho apposito mors subsecuta fuit. Cautius itaque tunc progrediendum, & illa eligenda quæ non adeo insignem & subitam mutationem parti afferunt.

§. XIIX.

Pertinent ad hanc classem vehiculorum, quæ operationem remediorum promovent & illorum vim exacuunt, plurima. Ipsa fluida vehicula sua id efficiunt fluiditate, dum solida medicamenta, alioquin inertia dissolvendo

vendo ad promtiorem actionem disponunt. Etsi enim Helmontianum illud, activa & salina corpora non agere nisi soluta, universaliter verum non sit, melius tamen & citius soluta ac vehiculo adjuta plurima operari, jam declaravimus. Huic fini ut per vehicula vis remediorum augeatur, cum aceto vini simplici, & compositis Bezoardicis acetis, medicamenta sæpe exhibentur. Est enim aceto, præsertim illi, quod ex præstantiori vino fit, magna penetrandi vis, quapropter in illis affectibus, in quibus attenuandum & expellendum est, frequenter adhibetur pro vehiculo. Neque tamen sine discrimine omnibus convenit, sed in nervorum affectibus, arthriticis uterinis morbis, minus est conveniens. In febribus tamen biliosis, ardentibus, malignis, sitim sedando, & sudorem ciendo, pro vehiculo aliarum rerum, quæ ad hunc scopum præscribuntur, valde convenit. Quemadmodũ & medicamenra ad coagulatum sanguinem dissolvendum plurimis in casibus multo melius

quod debebant exſequuntur, ſi cum aceto miſceantur. Salia quoque fixa antifebrilia & enixa ac neutra, ut dici ſolent, cum aceto exhibita febrilia fermenta citius ſæpe domant. Notum & celebre idcirco eſt ſpecificum antifebrile Crollii, & alia quæ è ſale fixo cum acidulato liquore componuntur, & in ſuperandis febribus intermittentibus multum efficiunt. Quæ in ſubitis caſibus, in gravioribus capitis & nervorum affectibus, in hyſtericis pathematibus, in doloribus ingentibus, in lipothymiis & aſphyxiis opem repentinam ferre debent, illa poſtulant vehicula fortiora, roborantia, tenuium ſubtiſſimarumque partium, quæ aurigarum inſtar (quo ſimili Practicus celebris utitur) illico remedia talia devehant ad locum affectum & illorum diffuſionem repentinam ac diſtributionem promoveant.

§. XIX.

Opus tandem eſt vehiculis talibus ſæpiſſimè

mè quæ medicamenta fortiora emendent, temperent atque corrigant, cum vehementia omnibus casibus & subjectis minime conducant, sed mitigationem & correctionem illa frequenter indicent. Electuaria opiata, quotidiani in medicina usus, & alia ex opio parata, expeditius agunt, & vim è sanguine expellendi virulenta miasmata citius exercent, quando cum simplicioribus vel compositis alexipharmacis acetis, qualis est aqua prophylactica Sylvii, dantur. Opium ipsum ita corrigitur & tutius datur. Præferimus enim modum opium cum acidis liquoribus tractandi & exhibendi veteribus usitatum; frænum hæc injiciunt, quo utplurimum opiata egent. Neque enim alcalia fixa vel volatilia correctoria opii & opiatorum perpetuò esse possunt, neque adeo secure his remediis addi videntur, quando opium per se mox tantopere per humores diffunditur, & statim ad spiritus penetrat, etsi resolvens & magis attenuans non sit additum. Quandoquidem

 etiam

etiam humorum laxitatem & fluxilitatem tollit opium, & incrassat, ut loquimur; ubi symptomata quibus opiata opponuntur à siccitate foventur augenturque, cum humectantibus aquis, cum emulsionibus dari debent, & liquida hæc largius sumi, ne exsiccatio nimia malum aggravet. Pilulæ purgantes vehiculum largius etiam omnino desiderant, & circumspecte iis utendum, si siccior ventriculus, & intestina tenuia viscida & vitrea pituita abundant, tunc nausea potius, tormina & calor præternaturalis excitatur, imò bilem acrem interdum exasperant, præsertim si nimis induruerunt pilulæ, & debita vehiculi quantitate non corriguntur. Vidi altero, imò tertio die pilulas integras exclusas multa pituita obductas. In colicis & dolorificis aliis primarum viarum morbis purgantia, imprimis fortiora & drastica, cum Diascordio Mithridatio, Theriaca exhibentur, ut dolores sic non recrudescant, & se-

quatur

quatur ſine incommodo evacuatio per alvum. Deprehendi autem in gravi colica cum ictero, Ileon minitante, Rhabarbarum Jalappæ ſtimulo addito, cum oleo amygdalarum dulcium datum inſigne auxilium attuliſſe, & ægro purgationem aliàs in illo caſu formidanti egregie profuiſſe.

§. XX.

Habenda autem hic ſemper ventriculi ratio. Quid enim juvat optima & ſaluberrima medicamenta ipſi repugnanti, imò vomitibus obortis rejicienti immittere? Placandus ille eſt quovis modo, & ſi colluvies pituitoſarum & bilioſarum impuritatum, quæ ſæpe faſtidii medicamentorum antecedens cauſa eſt, adſit, ipſis etiam vehiculis, pro re nata, diverſis, eadem reſpicienda. Atq; ſi morbi acumen ac vehementia non permittat, ut removeri ſaburra & tempeſtivè

excludi ſub ipſa curatione poſſit, gratiſſima & ſtomacho abblandientia eligantur, quæ enim ipſi non omnino renuenti ſed libenter admittenti, ingeruntur, ad inteſtina facilius dimittuntur, ut diſtributio, quæ plane neceſſaria ad medicamentorum plerorumq; effectum eſt, bene ſuccedat. Et hinc eſt, vehicula calida, juſcula, ptiſanas, imò aquam quoque calidam Thée vel Coffé vel vernaculis etiam plantis imprægnatam, eſſe hunc in finem valdè accommodata. Ab actuali enim illo calido ventriculus roboratur ac reficitur, facileque admittit, quæ vehiculis porriguntur, iidemque liquores calide aſſumti efficiunt, ut medicamenti vis promtius ſe diffundat ad inteſtina & per chyli vias promoveatur, faciliusque vaſis a calore rarefactis ſe inſinuet, quaquaverſum penetret, ac exſpectatum effectum ita ſortiatur; Diluit aqua calida, quod in & circa ventricu-

lum hæret & alioquin medicamenti operationem impedit & retardat, diluendo temperat, removet acidum quod plurimorum remediorum efficaciam aliàs frangit, promtissimeque se omnibus poris insinuando auctaque diuresi & diaphoresi, ut obstructa promtius deobstruantur efficit. Observatum est à Cl. Dn. Præside optima antifebrilia cum aquis antifebrilibus frigidis in tertianis febribus usurpata, paroxysmos accelerasse, mox inhorrescente ægro cum actu frigidæ alioquin saluberrimæ aquæ in ventriculum devenissent, remisisse vero mox febrem, mutato vehiculo, & calido jusculo potuque Coffé substituto. Agnovere hanc aquæ calidæ prærogativam veteres, & notabilis ac apprime hanc declarans est locus apud Aëtium, in quem Professor Argentoratensis M. Mappus docte commentatus est:

Aqua,

Aqua, inquit, *calida convenit ubi oportet excretionem præparare, & ubi quid attenuare, & ubi diffundere, & liquefacere aut mollire, aut eluere, concoquere, aut discutere volumus.* Illas ergo dotes aquam calidam possidere, quæ ad implendas conditiones grati, idonei & ad medicamentorum plurimorum operationes adjuvandas aptissimi vehiculi requiruntur, manifestum est.

FINIS.

